

Zd
2590





QK 309

v. Pflug

Z d
2590

EP O S
S C I P I O N I S
G E N T I L I S

A D

C H R I S T O P H O R V M

P F L V G I V M E Q.

M I S N.

Altorfio discedentem.



N O R I B E R G A E

E X C V D E B A T C H R I S T O P H O R V S

L O C H N E R V S.

CLD ID XCVII,

K. 309. Q.






SCIPIO GENTILIS
S. D.


CHRISTOPHORO PFLV-

GIO SVO.



ABSOLVI tandem epos, de quo, ut tibi videbitur, statues. Illud non facio arbitrii tui, ut aliter judicare possis, quàm me omnes ingenii nervulos interdixisse, quò te dignè laudarem, nec id tamen ulla ex parte præstitisse, non aliâ profectò de causâ, quàm quod artem meam superabat materia, id est, laudes tuæ, eaque propriæ tuæ. Nam quod splendidissimo genere natus sis, clarissimisque majoribus; laudarem, si id aut solum in te, aut præcipuum esset. Hoc idem etiam in carmine dico, sed aliis verbis; ne te fortè copiæ nostræ pœniteat. Enimvero hoc decus ad eos delegabimus, quibus nihil in se ipsis est, qualem credibile est eum fuisse, quem Franciscus Magnus, ut erat comitum rex ingenio, servare diligentissimè literas suas nobilitatis indices ac testes jussit, Ne iis amissis, inquit, nemo tibi credat, te nobilem esse. Tu ita nobilis esse vis, itaque hoc tibi præclarum, ut est, atque amplissimum videri oportere existimas, si multis illustretur & magnis virtutibus tuis, nec istam inflatam, & ut Cælii verbo utar, hordeaceam nobilitatem per se magni facis. Quare & excoluisti jam animum pulcherrimis artibus adolescens, & usum rerum maximarum sectaris, & ad eum consequendum nec labori ulli nec sumptui, parcis. Brevior sum, quàm cupido aut amor in te meus postulabat. Sed volo te recentem atque integrum ad hos versiculos nostros legendos accedere. B. V. III. Id. Ianuar. Ex hypocausto nostro.





SCIPIONIS GENTILIS

E P O S,

A D

CHRISTOPHORVM PFLVGIVM,

SI mea nunc quantus, Iuvenum clarissime, mæror
Pectora, & ingenuas obsedit quanta medullas
Cura, tui quoniam vultus mihi luce carendum est;
Cernere tu posses, tibi vel mea dicere musa:

Credo equidem, spatium nostro te velle dolori
Indulgere aliquod, celerésque remittere cursus.
Nunc fugis in medias hyemes, securus, ut alto
Terra, adoperta gelu, stupefactaque torpeat unda,
Sævâque Sithonius meditetur flamina Caurus.
Siste oro, nec perge pium sic perdere vatem.

Quid merui? vel quæ stimulis te gloria tantis
Incitat, & nostris subito complexibus arcet?
Italiâne iterum, doctamque Antenoris urbem
Visere vis? ubi magnifico te ornavit honore
Optima cum pulchris animis Germanica pubes:
Téque ducem sibi vix primævo in flore juventa
Legit, & in teneris lauros intexuit annis,
Quale decus nulli tam molli contigit ævo.

Anne alias terras, alios festinus adire
Adceleras populos? ten' Martia Gallia, tene
Regnatricis amor terra percussit Iberæ?
Forsitam & generis PFLVGIORVM hic signa tuorum

Adspicies corylosque suo cum vomere junctos.
 Nanque ferunt, postquam Regimindes inclytus olim
 Hesperiae regnum vitæ cum luce reliquit:
 Sollicitas gentes alio pro rege Leonem,
 Qui tum Romuleæ præerat sanctissimus urbi,
 Adcessisse; atque hac illum responsa dedisse
 Ora Deo plenum. Patrio latet abditus arvo
 Bambes, & ipse suis exercet rura juvencis.
 Hunc ego vos regem Hispanis imponere rebus
 Et moneo, & si qua est cæli reverentia, mando.
 Lecta manus regni partes dimissa per omnes
 Fatalem regem mediis invenit in agris;
 Qua pulcher per amœna fluit leni agmine culta
 Durius, & glaucâ ripas prætexit olivâ.
 Cui miles, Salve Hesperiae rex maxime gentis;
 Te Gothici vocat imperij, soli que superbi
 Majestas, celsoque Deus monstravit olympo.
 Ergo ades, atque oblata volens age regna capesse.
 Ille sua incumbens stiva, Quid miles honestum
 Ludis aratorem, soliorumque objicis umbras?
 Tunc quando hic, inquit (ramum ostendebat, arantes
 Quo stimulare boves, dextramque armare solebat)
 Aridus, & libri derepto cortice nudus,
 Incipiet molli rursus revirescere fronde,
 Rex ego vester ero. at dictum mirabile, ramus
 Desenuit, viridésque comas & brachia fudit,
 Frondibus & totum letis operivit aratrum.
 Tunc omnis depulsa mora est, Toletaque venit
 Mænia, & à magno cepit sceptrum alta Quirico,
 Vngvine perfusus sacro caput. Omnia gentem
 Quæ res ferre tuam, PELVGI, clypeosque videmus,
 Sed licet immensos aperit qua Misnia campos,
 Omnigenis que juga attollit generosa metallis,
 Nobilior nemo te sit, veterumque parentum

Teutoniae

Eadem fere referunt
 de primis
 primo, Bob. Am. v. 11
 Inve.

11

11

11

11

11

11

11

11

11

Teutonia cunctas implevit gloria terras:
 Non tu ideo coleris nobis, nec magnus haberi.
 Ingenio, atque tua rapimur celsa indole mentis.
 Hac tibi me primum adjunxit, dulci que meum cor
 Percussit thyrso. Laudes si dicere dignas
 Adgrediar virtute tua; quacunque minora
 Dicentur, nostra illa tamen mirabitur etas.
 Sed neque propositum mihi in hoc decurrere campo est.
 Nec si conarer, sineret dolor. o meae tantum
 Suavidico posset te carmine flectere musa,
 Exiguamque moram liquidam ex ambire querela,
 Ut lenes auras, Zephyrique tepentia flabra
 Expectare velis: idem te supplice nymphae
 Voce rogant, cupiunt que tuos redimire capillos
 Purpuream florum, semperque halante corona.
 Nec simplex honor hic fuerit: debere fatentur.
 Quarum tu mecum toties sylvestria templa
 Ingrediens, miro exhilarasti cuncta lepore.
 Coniferam cum sub pinu, fagoque patente
 Fusus, odorata premeres loca consita myrto.
 Et nunc Socratico libros sermone madentes
 Praelegeres, vel Aristotelis divina reperta,
 In primis de re summam populoque regundo.
 Nunc Christi florens opus, aut Cornelia scripta
 Hamatis impexa rubis, interprete lingua
 Clara loqui, ingeniumque aularum aperire doceres.
 Nunc faciles versus, & lucida carmina vatium
 Exprimeres docto luxu, magis atque rigares
 Luce tua. tibi saepe Maro, tibi saepe Catullus
 Lectus, & Ausonia fidicen dulcissimus aura,
 Omnia quae mecum Nymphae tum dicta latentes
 Auribus hauribant, & montivagi Silvani.
 Mox eadem a me nequicquam, te absente, reposcent.
 Nec te propterea durum, immitemque vocarim.

Nam quid amabilius, quid mitius esse potest te?
 Innatus magnis sed mentibus incitat ardor
 Discendique hominum mores, urbésque cupido.
 Qualia doctus erat pellax Ithacensis Ulixes.
 At mihi te nunquam Germano sanguine cretum
 Pœniteat, sanctumque animi servare pudorem:
 Idem & qui nunc es, redeas non omnia, quamvis
 Miramur, meliora etiam dabit exera tellus.
 Si te cana juvat doctæ prudentia mentis
 Et pacis bellique artes, ac discolor usus,
 In patria quoque repperies hæc omnia terra.
 Credere pigraris? magnum modo cerne Senatum
 Norica cui tellus, atque urbs pulcherrima paret;
 Et priscos Fabios, priscos mirare Catones.
 Præcipue BAVMGARTNERI te summa tenebit
 Gratia vi mixta, atque oculorum regius ardor.
 Adspice Bojorum florentem Principis aulam,
 Luminâque illa virum, æternâ dignissima vitâ.
 Quos inter Iuvenis micat aureus, & satus heros
 Inviçtis FRIDERICVS avis, Germania quo nil
 Magna videt genetrix, excepto Casare, majus,
 At non ipse, tuas fugi qui dicere laudes
 Inferior, populi memorem decora inclyta tanti.
 Ille tibi hæc melius cognato à sanguine dicet.
 IULIUS, idem hominum princeps, divumque sacerdos,
 Qui rem Germanam, concussi in fluctibus orbis,
 Et vivus cunctis stabilivit viribus; & nunc
 Mutâ voce ornat scriptorum, lumine cassus.
 Sancta Fides, & te Germani maxima testor
 Imperii Fortuna, viri sic illa jacere
 Scripta salus quibus, & majorum gloria vivis
 Spirat imaginibus, belloque inviçta potestas
 Quam nunc horreret, cui nunc illudere frustra
 Tentaret Scythicis pubes armata sagittis;

Ni mala Teutonicos ageret discordia cives,
Hac labes, hoc est magnis commune venenum
Inventum imperiis, ergo conatus eam ille
Stirpitus eruere est, omnesque recidere fibras.
Armorum atque virum cum tanta opulentia vobis,
Et gazae ingentes superent, cum duellica equorum
Per latos passim campos armenta vagentur:
Quod nisi concordēs animi, fraternaque peula
Defuerit? neque enim virtus antiqua recessit,
Aut solis fama monumentis insita floret.
Et Germana hodie nascuntur corda, suoque
Caelo animantur adhuc. testis fortissimus ille
Ductor, Anhaltini generosus sanguinis heres.
Quem non centum acies, non undique fusa Getarum
Agmina percurrentem armato pectore nuper
Sustinuere, viamque hosti tremefacta dedere
Quò labor? vel quò potius me sancta Dearum
Calliope invitum rapitis? vulnusque canendo
Exagitare recens duram pietate iubetis?
Talis & ille tuus P E V G I, nunc testis adesset
H E N R I C V S frater, nimium quem fervida virtus
Pannonie infestas puerum quater egit in oras:
Et Maumettigenum iussit se offerre furori
Armatum, intrepidumque animis, & corpore celfo
Abscondentem annos, visuque manumque virili,
Qualis pullus equus Calabris in saltibus acer,
Insolitus si forte tubae sonus impulit aures,
Arrectam cervicem micat, nec conscius ævi
Ipse sui, horridos hinnitus edit ad arma.
Marmarici aut qualis soboles animosa leonis,
Cui nondum juba longa toros convestiit altos,
Nondum omnes crevere unguis: tamen audet in hostes
Ire feras primoque ad caedem surgit ab ortu,
Hac etiam poterat ratio, chara quoque parentis

Zd 2590 UK

Te species tantâ externata clade movere:
Tâm longas ut inire vias hoc tempore nolles,
Et per agrare loca innumeris obsepta periclis.
Multi etenim nobis terrâque, marique labores
Et varij impendent casus mortalibus agris.
Verum ego te quamvis omni ratione tenere
Hic cupiam, atque meos cuncter dimittere amores;
I tamen, i felix, inquam, felixque revertere.
Maturus tibi nam spondet meus augur honores
Phæbus, & augurio pietas tua certior omni.
Illum animo jam cerno diem, cum Misnia tota
Floribus atque auro crines evincta decoros,
Te reducem excipiat, seque una voce beatam,
Damatamque sui dicat nitidissima voti.
Cum pia CHRISTIANI (quo dudum Principe terra
Gaudebant, magno exultat nunc hospite cælum)
Exhilaret vultu proles ad censa sereno,
Imperijque velit curis te præesse paterni,
Tanto usu, tantâ doctrinâ atque indole tantâ,
Nec tamen intereâ noster pia numina cæli
Sollicitare tuo, pacemque exposcere divum
Pro reditu cessabit amor. Sive ostia magni
Intrabis Rhodani, aut celsas gradiere per Alpes:
Seu placido labere Pado: seu Cantabra regna,
Et nimbofa jugis superabis saxa Pyrenes:
Sive etiam Oceani decurres fluctibus altis,
Albionumque leges felici littora pinu:
Qui te cunque locus terris, quacunque videbit
Ora maris, ne te interdum deslectere mentem
Hanc nostram ad sedem pigeat, lucosque sacratos,
Atque ibi Gentilisque tui secumque peracta
Vita sub dulci regno meminisse Lycoris.

F I N I S.

Pon zd 2590, QK

ULB Halle

3

003 947 467






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



QK 309

v. Pflug

Z d
2590

E P O S
S C I P I O N I S
G E N T I L I S

A D
C H R I S T O P H O R V M
P F L V G I V M E Q.
M I S N.

Altorfio discedentem.



N O R I B E R G A E
E X C V D E B A T C H R I S T O P H O R V S
L O C H N E R V S.

c l o l o x c v i i ,

K. 309. Q

